

allegatis patet, ) adeoque & foliis & fructibus magis solidis constet, unde inter עצי recensetur 1. Reg. V. 13. Quia autem *ibid.* tenuissima inter עצי dicitur, ejus culmus non adeo solidus fuisse censendus est. Atque hinc quoque frons aliqua exinde decerpta tantæ soliditatis non erat, ut sola adspersioni sufficeret, sed suffulciri debebat baculo aliquo cedrino, vel quovis alio ligno, uti mox demonstrabitur. Nunc <sup>Ejus requi-</sup> requisita hujus herbæ, quando adspersioni idonea esset, <sup>sita.</sup> dicanda erant. Principiò Rabbini docent certam speciem hyssopi heic adhibendam fuisse, quas varias recensent Judæi. Vid. *Aversvalda l. cit.* Harum plurimas, quæ adjecto alio nomine distingui à cæteris solent, שיש להם שם לווי quæ denominationem adjectam habent; dum v. gr. dicitur *hyssopus Romana*, Græca &c. rejiciunt, solam autem eam, quæ simpliciter *hyssopus* appellatur, adspersioni congruam judicant in *Parah XI: 7.* & *Negaim XIV: 6.* Conf. *Gem. Succa fol. 13. a.* *Gem. Chullin fol. 62. b.* & *R. Sal. ben Melech in מכלל יופי fol. 19. a.* Eandem hyssopum *Maimon. in פרה ארומה ה' Cap. XI. § 5.* *hyssopum speciatim ita dictam* appellat, eamque esse שמוכלין אותו בעלי בתים quam comedunt patres familias, asserit. Conf. idem *Maimon. l. cit. Cap. III. §. 2.* *Bechai in ביאור על התורה fol. 183. a.* & *Zellerus in Comment. de Vaccâ rufâ p. 395. seq.* Deinde quantum ad longitudinem, notandum est necessarium fuisse שאין פחות מטפח ut non minor sit palmâ Vid. *Gem. Nidda fol. 26. a.* & *Maimon. in פרה ארומה ה' Cap. XI. §. 1.* Denique, ut cætera requisita prætereamus, quæ fusè recensentur in *Parah*, *Negaim* & *Maimon. locis cit.* tres ejus caules debebant adhiberi. Hinc non solum *Raschius ad Exod. XII: 22.* in genere pronunciat שיש להם שם לווי tres demum caules fasciculi nomen mereri, sed & tanquam מצוה præceptum considerant Rabbini, ut tres ejusmodi caules in hyssopo legitimâ reperiantur, *Parah XI. 9.* *Gem. Schabbath fol. 109. b.* *Gem. Succab. fol. 13. a.* Conf. *Bechai in מכלל יופי fol. 183. a.* & *R. Sal. ben Melech in מכלל יופי fol. 19. a.* Perinde tamen esse pronunciat, sive caules illi ex unâ, sive ex diversis progerminati sint radicibus, sive naturâ coadunati,